



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**ORATIONES DVÆ,|| VNA,|| DE FIDE AC || RELIGIONE  
MA-||GNI ILLIVS ATHANASII A-||LEXANDRINI,  
IVRECONSVL-||ti & Theologi eximij,|| ALTERA,|| DE  
HOMOLOGIA SIVE CON-||SENSV CONCENTVQVE  
THEOLO-||giæ Lutheri ...**

**Hunger, Albert**

**Ingosttadii, 1582**

**VD16 H 5948**

Widmung

**urn:nbn:de:bvb:12-bsb10815252-5**



REVERENDIS, NOBILIBVS,  
ET CLARISSIMIS I. V. DOCTORIBVS, DO-  
mino IOANNI EISENGREINIO Cathedralis Ecclesiae Pata-  
uiensis Canonico & Collegiatæ Straubingensis Præposito, &c. Ac Do-  
mino FRIDERICO STAPHYLO Cathedralis Ecclesiae Vratis-  
lauiensis Canonico, Curiæq; Eichstadiensis Officiali, &c. Do-  
minis & amicis suis multum semper a-  
mandis colendisq;

ALBERTVS HVNGERVVS S. P.



RATIONES HASCE DVAS, RE-  
uerendi, Nobiles, & clarissimi viri,  
cùm excudendas rogantि permit-  
terem Typographo, vestro potissi-  
mùm vt dicatas nomini emitte-  
rem, causas mihi habere iustissimas  
visus sum. Vos enim ij estis in quo-  
rum Doctorali celebritate huius-  
cmodi orationum priorem illam  
habui: Vos ij estis, quos Theologicarum dissertationum  
lectio delectat plurimùm: Vosdeniq; ij estis, in quibus  
inuictissimorum illorum Catholicæ religionis propugna-  
torum Friderici Staphyli, & Martini Eisengreinij (quorum  
ille quidem alterius vestrūm parens, hic verò alterius ve-  
strūm frater fuit) ardens illud Orthodoxæ studium, & per-  
fectum hæreseos odium ita etiamnum viuunt vigentq;, vt  
tametsi vterq; vestrūm ytriusque Iuris disciplinæ, quæ suos  
sectatores ferè ad genus vitæ secularis abripit, per annos cō-  
plures operam dederit; vterque tamen nuper Ecclesiasticū

vitæ statum amplexus, ipso etiam sacro sacerdotij ordine,  
veluti arctiore quodam vinculo ad defendenda Catholicæ  
Ecclesiæ Iura, fidem, & autoritatem, singulari quodam  
zelo quā religiosissimè sese obstrinxerit. Accipite igitur, Do-  
mini & amici honorandi, hoc qualecunq; munusculūfron-  
te amica & hilari, ac cùm clarissimè hīc perspexeritis, eandē  
prorsus iam olim fuisse illius magni Athanasij fidem & Re-  
ligionem, quæ etiamnum hodie est Pontificiorum seu  
Catholicorum omnium, Theologiam verò Lutheri ( nec  
multò aliter de Theologia Caluini statuendum ) tam' esse  
Theologiæ D. Athanasij dissentanciam, quām solis lumi-  
ni spissæ sunt tenebræ; è diuerso autem Philosophiæ Epi-  
curi tam esse consentaneam, tam cognatam, tam consimi-  
lem, vt ouum ouo vix sit similius, pergit facere, quod faci-  
tis; vñā sanctam, Catholicā & Apostolicam Romanā Eccle-  
siā, omnium Ecclesiarū matrem & magistrā, constanter se-  
quimini pieq; veneramini; Lutheri, Caluini, aliorūq; Noua-  
torū Schismata & hereses, tanquam certissimā pestē fugite,  
& tanquā paradoxiam ab omni Theologicè antiquitatis fa-  
piētia damnatā detestamini, errātes, in viā vestro exemplo,  
vestra doctrina & exhortatione reducere satagite, ne pars il-  
lorū, quos in baptisme fratres načti sumus, tādem cū Epi-  
curo sit, quia nunc cū Luthero & Caluino est, sed potiùscū  
magno sit Athanasio, cuius vel sub pedibus posse consistere,  
certam & magnā esse felicitatem non immerito censue-  
runt Christianorū optimi & sapientissimi quique, adeò, vt  
hoc ipsuni sibi, tanquā præmium omnis laboris amplissi-  
mum, ardenter ac diserte exoptârit doctissimus ille Patri-  
archa Constantinopolitanus, Gennadius Scholarius.  
Sic vos, & vestram & aliorum procurantes salutem

Dev s opt. Maximus quām diutissimè in-  
columestueatur. Ingolstadij 17. Mar.  
tij. Anno 1582.

DB

Libro de  
processio-  
ne Spirit.  
S. sectione  
quinta.



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN